



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)



PROOEMIUM.

Philosophia à græco φίλος amor, & σοφία Sapiencia, nomen hausit, id quod Pythagoras primitus invenisse fertur. Cùm enim ambitiosum sapientis vocabulum, quo Græcia literatos suos jaëtabunda insigniebat, fastidiret, maluissetque sapiens esse, quàm nuncupari, ab amore studioque sapientiae nomenclationem sibi imposuit: quam Pythagoræ modestiam erudita deinceps posteritas imitata, quotquot sapientiae Professores subsequuti sunt, eos Philosophi nomine cohonestavit.

Definitiones Philosophiae varii varias excogitarunt: Plato eam mortis affectum appellavit; non quidem quod à corpore animam divellat, ut erroneè Cleombrotus sensit, propterea ex alta se turri præcipitem agens; sed quod à vitiis animum, intellectum ab errore, à pravis cupiditatibus sensus avocet, secernat. Alii Philophià utuntur ut animi medicinà, alii eam ut artium progenitricem venerantur, alii ut donum imitationemque Deorum depraedicant, ex-

A tol-

2 DE PROLEGOMENIS LOGICÆ.

tollunt: sed hæc Rhetorum potius pigmenta sunt, quàm definitiones Philosophorum. Hi enim magis solliciti, ut Philosophiæ naturam explicent, quàm ut ejus ornamenta congerant, illam *rerum omnium humanarum divinarumque cognitionem* dicunt, vel ex Aristotele cum Damasceno eam sic definiunt: *Est eorum, quæ sunt, prout sunt, cognitio.* Igitur Philosophia quoad rem considerata res naturales omnes earumque causas rimatur. Objectum ejus sunt omnes res naturales. Pro subjecto, causâ materiali & efficiente intellectum ritè assignaveris; hic enim cognitiones philosophicas elicit, sæpius eliciendo philosophicam scientiam acquirit, hancque ipsam ex se elicitam in se recipit. Pro fine primario respicit cognitionem veritatis; pro ultimo Deum ipsum omnis veritatis authorem sibi præfixum habet. Præter *Mathesin*, quam aliis explanandam relinquo, complectitur partes adhuc quatuor præcipuas: *Logicam, Physicam, Metaphysicam, Ethicam.* Physica rursus subdividitur in *Universalem, Particularem & Animasticam.* Partes has ad majorem Dei gloriam, & tuam, Lector benevole, eruditionem tomulis 5. explicare aggredior.

PHI.